

LATIN.

7. MS. OF PARIS LIBRARY, 3195.
(Geographic Latin.)

Quando homo recedit de insula de PENTAY et vadit per silochum centum miliaria, invenit insulam minorem de JAVA, et est ista insula parva et durat duo millia miliaria; et de istâ insulâ computabo vobis omnia. Super istâ insulâ sunt octo regna, in sex quorum ego Marcus fui, scilicet in regnis FERLECH, BASMAN, SAMARA, DRAGOIAM, LAMBRI et FANFUR. In aliis autem duobus non fui; et secundum quod sunt octo regna, ita sunt octo reges coronati, et sunt omnes idolatrae. Et quodlibet istorum regnorum habet linguam per se. Ibi est magna abundantia thesauri et de omnibus caris speciebus; et dicam vobis de istâ insulâ quaedam quae videbuntur mirabilia. Ista insula est tantum versus meridiem quod tramontana non videtur ibi nec parvum nec multum. Postquam diximus vobis de insulâ et de regnis ipsius, nunc computemus de moribus hominum ipsius insulae, et primo de regno FERLECH.

8. PIPINO'S VERSION (British Museum, King's Libr. 14 c. xiii.).

Ultra Insulam Pentham per Syro-cum post miliaria centum invenit insulam quae dicitur JAVIA MINOR quae in suo ambitu continet miliaria duo milia. Ibi sunt octo regna cum singulis regibus et est ibi propria lingua. Et omnes habitatores insulae ydolatrie sectatores sunt. Ibi est omnium aromatum copia, quarum similitudinem nunquam vidimus citra mare. Hec insula in tantum est ad meridiem posita, quod de ipsâ insula Polus Arcticus videri non poterit stella seu illa quae vulgariter dicitur Tramontana. Ego autem Marcus fui in sex regnis hujus insulae, sc. in regnis FERLECH, BASMAN, SAMARA, DRAGOIAN, LAMBRI et FAMSUR. In aliis autem duobus non fui. Et primo dicam de regno FERLECH.

9. VERSION OF CICOGNA MS. in Museo Civico, Venice.

Ab ynsulâ Pentain circa 100 mil. versus Syroch est ynsula JAVIA quae licet Minor dicatur per respectum alterius supradicte est in circuitu [sic] 2000 mil. et plus. In ipsâ enim sunt 8 regna singuli * et reges, et habet quodlibet regnum per se proprium ydeoma, et est in ipsâ tesaurus multus valde et species magni valoris multe, et lignum aloes et spica, et multe diverse species quae nunquam in nostris partibus apportantur. Et est hec ynsula in tantum versus meridiem posita quod Polus Arcticus breviter non apparet.

* Word doubtful.

10. VERSION PRINTED IN THE NOVUS ORBIS OF GRYNÆUS.

Ultra insulam PETAN, per Sirochum navigando, est JAVIA MINOR, centum distans miliaribus à PETAN: et hæc in circuitu continere dicitur circiter duo millia miliarium. Dividitur insula in octo regna, habetque linguam propriam. Pro-ducit etiam varia aromata, qualia in his nostris partibus nunquam visa sunt. . . . Protenditur hæc insula in tantum ad Austrum, ut polus Arcticus, et stelle ejus minime videri possent. Ego Marcus fui in hac insula, lustravique sex ejus regna, nempe regnum FERLECH, BASMAN, SAMARA, DRAGOIAM, LAMBRI, et FANSUR. In aliis vero duobus non fui.